Sigismundus Augustus DEI gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Lithuaniæ Russiæ Prussiæ Samogitiæque ac Masoviæ etc. Dominus et Hæres.

Ad perpetuam rei memoriam tenore præsentium quibus expedit significamus Quia constituti coram nobis Aurifabri artificesque eius artis Civitatis nostræ Vilnensis exhibuerunt coram nobis Privilegia Serenissimorum Principum ac Dominorum Alexandri Regis ac Magni Ducis patrui nostri desideratissimi Tum aliud Privilegium Serenissimi Domini Sigismundi Regis Poloniæ Supremi Ducis Lithuaniæ parentis nostri colendissimi Quorum privilegiorum tenor sequitur de verbo ad verbum et est talis In nomine Domini Amen Ad perpetuam rei memoriam Quoniam facta humana quantumcunque memorabilia facile intereunt nisi literarum officio fuerint memoriæ mandata. Proinde Nos Sigismundus dei gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Lithuaniæ Russiæ Prussiæ Samogitiæque etc. Dominus et Hæres Significamus tenore præsentium quibus expedit universis et singulis præsentibus et futuris harum notitiam habituris Quia constituti personaliter coram Nobis Aurifabri Civitatis nostræ Vilnensis exhibuerunt literas Serenissimi olim Principis Domini Alexandri Regis prædecessoris et fratris nostri desideratissimi ipsius sigillo appendenti munitas Erectionem seu institutionem fraternitatis ipsorum in se continentes omni prorsus vitio et suspicione carentes, supplicantes ut illas approbare ratificare et confirmare dignaremur Quarum tenor sequitur et est talis. In nomine Domini Amen Ad perpetuam rei memoriam Nos Alexander DEI Gratia Magnus Dux Lithuaniæ Russiæ Samogitiæque Dominus et Hæres. Significamus tenore præsentium quibus expedit universis præsentibus et futuris harum notitiam habituris Quomodo considerantes Civitatem nostram Vilnensem diversis Artificibus indies absque ordine magis ac magis adaugeri Deliberavimus eisdem fraternitates dare et certis mediantibus constitutionibus instituere et confirmare temporibus aeviternis tenendas et firmiter observandas ut falsi labores et astutiæ eorundem eo facilius exquiri possint et tandem inventi corrigi ac prohiberi pro iustitia et reipublicæ maiori incremento Quare per præsentes Aurifabrorum fraternitatem instituimus et eosdem ordine tenendo confirmamus quem infrascripti articuli declarant manifeste. Primum ut quicunque magisterium præfatæ artis subire vellet prius literas offerre tenebitur quæ de moribus de statu suo redderent certiores; postea demum tres porciones alias Sztuki coram fratribus ostendere debebit. Poculum vz. Sigillum cum gallea alias Helm et annulum lapidem gestantem Quem fratres Dominis consulibus ad suscipiendum ius Civile præsentabunt Infra vero unum annum tenebitur uxorari. Quilibet demum Magister artificii præfati laborans scutellas tallaria pocula cantaros et alia quæcunque malleo cuduntur, cuilibet marcæ argenti unum tantum scotum addere potest alias przysadnic laborans vero arte fusoria quascunque res cuilibet marcæ argenti scotum cum medio addere potest. Quolibet vero mense Seniores artificii eiusdem quemlibet Magistrum visitabunt conspecturi si laborem suum

F151-1205

1516

ZE ZBIORÓW LUDWIKA UZIĘBŁY W WILNIE
Archiwum Ludwika Uziębły w Wilnie
Archiwum Ludwika Uziębły w Wilnie